AD

PHILOSOPHIAM

Teutonicam Manuductio.

Seu

Determinatio de origine Animæ humanæ, *viz.* An á Deo creetur & infundatur, an á parentibus traducatur, habita Cantabrigiæ in Scholis publicis in Comitiis, Martii 3. 1646.

A Carolo Hotham socio Petrensi & tunc uno ex Procuratoribus Academiæ.

LONDINI,

Excudit *T.W.* pro *H.Blunden* ad Cambium Regium in Colle-frumentario. 1648.



1



Procancellario Senatuíqué ac juventuti Academiæ Cantabrigiensis Salutem.



Vod hanc nihili opellam Lethæis jã propè sopitam tenebris revocare tandem in lucem, vestróque honestare patrocinio conatus sim, non est (egregii viri juvenésque) quod miremini, sed neque quod indignum quicquam vel honore Academiæ

cademiæ vel officio nostro factum censeatis.

Hoc uti facerem suasit insignis vestra quæ me publici satagentem muneris atq; hæc etiam ipsa perorantem comitata est humanitas. Quantam enim hoc nomine vobis gratiam debeo, ampliori cum non possem, hoc saltem pertenui munusculo testatum volui.

Hæc etiam cogitanti aculeum non levem addiderunt allatæ ad aures quorundam hæc placita juxta ac me ipsum hæreseos postulantiũ querimoniæ, his etiam (ut arbitror) memoriâ labili non animo malo peccantibus) his inquam, vel saltem cordatis omnibus ut satisfacerem

tisfacerem, quæ tum dicta á me fuerãt, ut memoria suggessit, excribenda ac publici juris facienda putavi.

De re ipsâ jam docti judicent. Me verò quod spectat, demiror equidem quod boni viri non adverterint. 1. Alterius me philosophiam non propriam deprompsisse. 2. Quædam exinde mihimetipsi necdum satis perspecta denuntiâsse. 3. Cùm in re tam arduâ facilem lapsum viderem, nec proprio sat fiderem judicio, petiîsse ab auditoribus (spero & impetrâsse) erratorum veniam, quòd uti pluribus jam constet, etiam & ipsum quem tunc habui

bui Epilogum apponendum curavi.

Et ſanè, ſi quiſquam alius, is vero potiſſimùm ac præ cæteris hâc veniâ dignus cenſendus qui non faces ac fulmina furialiter evibrans in ora hinc inde tranſeuntium, ſed greſſu placido, neminíque vel deviantium infenſo veritatem per avia quæritat.

Huic me, ſpero, quærentium cenſui inſcribetis Academici, nec animum rationis propriæ ſophiſmata compertáſque ſæpe fraudes reformidantem ſugillet quiſquam, at ſophiſtam ſe potius ſuum ſuſpicax caveat. Plures, mihi credite, ad amplexus

plexus Sapientia, ad portum veræ beatitudinis Opinio recta quàm Scientia præcox ac putatitia perduxit. Hanc (Athenienses) cavete sedulò. Hæc magnus ille Sophiæ candidatorum Ignis-fatuus est; hæc Ægyptiaca verè ac palpabilis caligo.

Philosophicum mare tranantibus á caute geminâ periculum ingens est. hâc duplex illud dissidentium inter se mystarum veritatis symbolum intelligo. His, Credo ego quod Ecclesia credit, *apex est sapientiæ (O homines fælices nimiùm qui tantillâ voculâ quantam nec Orbis caput sapientiæ*

pientiæ molem inclusam ge-stetis!) Illis, Quicquid Ecclesia credit, id ego non credam, *optimus ad veritatem dux putatur. Hique, si quicquid est hæreseon in Canone jam foret Ecclesiæ, fidem quæ hodie est, & quam spernunt, orthodoxam, haud dubito quin ut alteram rationis suæ Dianam ad sidera clamoribus efferrent. Hunc ego utrumque scopulum evitare semper annixus sum. Ecclesiæ (hoc est ut liberè loquar) præpotentium præsentis ævi) decreta mihi nunquam pro columnis Herculeis fuere, ultra quæ sapere nefas. Sæpe subridens lego*

Miran-

Mirandulanum, Gassendum, aliósque recentioris ævi heroas præclara sua dogmata, & receptis tunc seculi decretis sæpe ex diametro opposita, tamen cum submissione Ecclesiæ Romanæ, veluti sub Rosâ, proferentes. Vtcunque tamen, unanimem doctorum piorúmque consensum licèt haudquaquam adorem, at (in re præsertim sacrâ) revereor admodum. Illi quidem ut saxo non adhærescam, at eum (quod in more quibusdam est) non uti Scyllam vel Charybdin aliquam studiosè vitabo. Deniq;

Haud is sum qui sacræ religionis mysteria antisti-

túmve

tiſtitúmve ejus reverentiam dicaculâ linguâ temerandam unquam cenſuerim: at theoſophiæ ſtudiis ab incunabulis demerſum de rebus vel ſummis modeſtè & inter doctos pauló liberiùs diſſerere nefas haud arbitror, neque hoc opinor quiſquam non male-ſanus vetabit.

Hæc igitur à nobis habete (Academici) non ut oracula Sibyllina quæ vera eſſe vel ſciam, vel (uti Theologis vox ſonat) penitus credam, vel planè crediturus ſim unquam priuſquam eadem mihi quæ ipſimet theoſopho lux intus affulgens eadem ſuadeat; habete tamen ut quæ, ſi non vera, ſaltem

tem probabilia ariolor.

Non desunt fateor quæ contrà possint objici nec refelli facilè. Hoc autē quisquis attentaverit, viderit idem ut aliā unà proferat Æternitatis Universíque hypotyposin quæ nullâ difficultatum mole laboret, quæq́; penitiùs cum natura, philosophia vetustissima, Scripturaque sacra phænomenis consentiat.

Apertè loquar quæ sentio Quicquid vel effatus est de tripode ter maximus Hermes, vel Pythagoras dixit, vel disseruit Socrates, vel asseruit Aristoteles, quicquid denique vaticinatus est divinus Plato

vel

vel probavit Plotinus, hæc omnia, aut his augustiorem longè ac profundiorem philosophiam puto Teutonicis scriptis reconditam. Et (quod hæc omnia superat) si quo concordi vinculo Regina illa ac Domina sacrarum literarum sapientia cum ancillulâ suâ pervicaci (h.e) ratione humanâ sociari conciliaríque fas sit, hoc certè fælix Animæ Spiritûsque conjugium, hanc exoptatissimam epharmosin, hanc mirabilem discordium harmoniam Teutonicus nobis exhibet; hoc tantùm theosopho ne fraudi detur, si quod olim Plotino (teste Mirandulano) obtigit, scilicet

cet

cet á Platonicis etiam ſudantibus ſæpe haud intelligi potuiſſe, idem & huic non raró obtingat fatum.

Hæc autem, ut ſpero, omnia vobis affatim præſtabit Authoris de tribus principiis olim conſcriptus liber & paucos abhinc menſes ut accepi, vernaculâ noſtrâ proditurus. Intereá temporis, quod ego veſtri gratiâ ex ejuſdem linguâ magicâ (utque Marſilii verbis utar) Angelicâ in humanam transtuli, candidè accipite.

Vos autem præclara juventus utriuſque ſcholæ, reverà delitiæ noſtræ ſeculique veſtri

quorum

quorum eruditio, modestia, pietásque, miraculo nobis, exemplo posteris futura, hoc nobis haud admodum φιλοπόνῳ extorsit muneris, jussitque ut unam atque alteram noctem insomnem ducerem quò vobis in adyta sophiæ sacratioris aperta foret janua, vobis præsertim (charissimi juvenes) magnóque merito vestro dicatum hunc credite libellum.

Si trucem in vobis animum si ferinos mores offendissem, Entelechiarũ Hæcceitatúmq; satis ampla mihi supellex erat; haud alio vos cibario quam hâc putidâ glande saginâssem,

Nunc

Nunc autem humanum quem in vobis offendi genium divi- niore quod habui nectare & Ambrosiâ dignum judicavi.

Fruimini ac
Valete.

Ad



Theſes tum propoſitæ fuere.

1. *Non dantur connatæ ſpecies.*
2. *Creatio eſt cognoſcibilis lumine naturæ.*
3. *Voluntas diſcordans á ratione erante eſt mala.*

Quartam verò originem animæ ſpectantem Procurator alter liberrimi vir ingenii ſic ventilandam propoſuit.

Animas traduci vel poſſe ex nihilo creari, utrumlibet probabile.

Alter diſputatione tranſactâ ſic determinavit.

Ad



Ad philosophiam Teutonicam manuductio &c.

Animas traduci, vel posse ex nihilo creari, utrumlibet probabile.



Nihil æquè difficile nobis ac nostri cognitio est, cum nulla sit quæ penetralia spiritus intimi nobis pandat anatomia; hinc nullâ de re unquam apud philosophiæ vel scientiæ sacratioris antistites magis ancipiti Marte disceptatum, quam de humanæ atque immortalis animæ ortu ac conjunctione cum hoc mortali corpore.

Dissidentium inter se varietas

 tantùm

tantùm non infinita, nec quicquam ferè est in rerum naturâ quæ non materiam vertiginoso cuipiam animæ fabricandæ idoneam suppeditavit.

At nolo vos revocandis in scenam veternosis quorundam somniis obtundere.

Illustriores tantum sententias recensebo: hæ quinque sunt.

1 Prima (ut aiunt) Galeni est, forsan & Sadducæorum; Animam humanam, uti & brutorum, ex crasi quâdam seu debitâ quatuor elementorum & humorum inter se contemperatione exortam.

2 Secunda veterum quorundam Arabum & Cardani: Animas omnes unius tantum animæ, nempe mundanæ effluxus esse, quæ materiæ rite dispositæ vitam non communicare nequit, ut neque lux objectum translucidum non penetrare.

Suntque hæ duæ Atheorum plerumque vel Epicuræorum sententiæ, quas non religio solum nostra,

Sed

Sed & conſentiens saniorum ex Ethnicis ſophorum harmonia repudiavit, & nos compendio ſtudentes ſicco pede præteribimus.

3 Tertia Platonicorum eſt ponentium animas corporibus ſuis præextitiſſe: æquâ primũ dignitate creatas omnes, ſed vel amore proprio, vel offenſo creatore, corporibus veluti totidem fœdis ergaſtulis incluſas: in quibus tamen, Si Deo obtemperantes piè caſtèq; vixerint, ſi à mundanis ſordibus intaminatas ſe præſtiterint, tum exuto hoc nigro corporis velamine in patriam paternámque lucem, unde exciderint, redituras. Hæc ut videtur Hermetis, Platonis, Iamblici, Plotini, ſcholæq; totius Hermeticæ, Pythagoricæ, Platonicæ, hæc magni illius Originis, hæc etiam ut opinor, Iudæorum omnium (exceptis Sadducæis) tum veterum, tum hodiernorum ferè unanimis eſt ſententia.

Hoc tantùm diſcordant quod ex

illis quidam non omnes animas peccato delapsas sentiant, sed quasdam velut Angelos tutelares humani generis bono in corpora demissas cælitùs: scelestorum verò animas ubi hinc migrant, in aliis vel hominum vel brutorum corporibus delictorum pœnas luere, quousq; tandem in plantas migrantes obdormiscant, & in pristinum sui nihilum revertantur.

Atque hæc quidem utcunq; splendida, & authoribus tot Heroicis ingeniis digna sententia, tamen cùm tot sacris oraculis de unius primum hominis creatione, & lapsu, & nequitiâ in universum genus humanum hujus unius facinore propagatâ, tum etiam de resurrectione corporis, & unione rursus animæ cum corpore, & æternis deniq; sceleratorum in Gehennâ suppliciis, cum inquam tot illustribus sacratioris sophiæ dogmatibus ex diametro hæc adversetur sententia, meritò repudianda est, nec ulteriori apud nos

Christi

Christi sequaces indiget examine.

4 Quarta maximæ partis Theologorum Christianorum est, sentientium animam hominis post absolutam partium omnium corporis, saltem vitalium, efformationem, immediatè à Deo, & ex nihilo, creari & in ipso creationis instante cum corpore sociari.

5 Quinta doctissimi respondentis est ut videtur (quamvis alteram non improbet) & præcellentium aliquot ingeniorum hujus præsertim & anteacti seculi sed nec authoritate vetustatis penitus destituta sententia: Animam humanam ex paterno semine in sobolem derivari.

Vtra ex his verior sententia sub judice lis est. Nos neutri earũ tanquã scopulo affixi rationum ex utrâq; parte momenta breviter expédemus.

Ea petuntur vel è sacris oraculis, vel ex principiis philosophiæ. De philosophicis agere supervacaneum mihi fecit acumen opponentium, respondentis judicium verè gravissimum.

Theologica quod spectat rem omnem unâ atq; alterâ conclusiunculâ expediemus.

Prima hæc esto.

1 Nihil ita certi atq; indubitati statuitur in sacris literis hâc de controversiâ ut ab alterutrâ parte stare error in fide meritò censeri possit.

2 Dicta omnia quæ de hac re in Sacrâ paginâ habentur inter se collata plus favent asserentibus animarum traductionem quàm perpetuam & novam earundem pro quolibet individuo creationem.

Hoc utrumque pensum unâ atq; eadem operâ absolvemus.

1 Quod igitur primò occurrit, initio creationis cæterorum omnium animantium procreandorum officium terræ & aquæ demandatum, hominem verò divino spiraculo viventem factum, hoc nihil ad futuram humani generis propagationem: nam utcunque Deus peculiari quodam afflatu protoplasten primitùs

anima-

animavit, eadem tamen pòst futuræ propagandæ sobolis homini quæ cæteris animantibus potestas datur; idem crescite & multiplicamini dictum Adamo cum consociâ suâ quæ balænis aquatilibus & volatilibus cœli, unde & haud multò pòst dicitur genuisse filium ad imaginem & similitudinem suam, & tandem nescio quot animæ dicuntur de femore Iacobi egressæ, quod licèt de animabus strictò sensu intelligi non putârim, nam vox animæ perquàm lubrica in sacris literis interdum pro carne & corpore solis usurpatur uti Lev. 21. 11. de Sacerdote, ἐπὶ πάσῃ ψυχῇ τετελευτηκυίᾳ οὐκ εἰσελεύσεται, Non intrabit ad animam mortuam (i.e.) ad cadaver seu corpus mortuum. At verò acceptio ejus usitatissima est vel pro animâ & ejus affectibus, vel pro personâ integrâ, atq; ita hic, ubi de animabus è femore Iacobi egressis agitur, sumendā Animæ vocem suadent quæ de Christo dicuntur, Heb. 7

 ubi

ubi Apoſtolus ſacerdotii Chriſti ſupra Leviticum dignitatem probat ex eo quod Levi in Abrahamo exiſtens decimas Melchiſedeco Chriſti typo ſolverat, hic ſi de Levi corpore ſolum in femore Abrahamico exiſtente ſermo eſt, nil probare videtur, nam & ſecundum carnem Chriſtus fuit in Abrahamo & Melchiſedeco decimas ſolvit.

Sed ut eò unde digreſſum eſt revertamur. Deus initio non Animæ ſolum ſed & corporis creationi nudis (ut ita dicam) incubuiſſe manibus putatur, at verò jam non ulterius humanum corpus propriis effingit digitis; initio creationis terra beſtias & plantas, aqua piſces & aves produxit, de cætero autem unumquodlibet individuum alia ſpeciei ſuæ individua. Vniverſa jam creatio movetur a principiis motûs ſibi à creatore primùm inditis. Abſit ergo ut primæva hominis productio ſequentium poſt generationum perpetua norma putetur; Abſit etiam

ut

ut spiraculum illud ex ore divino profectum non æquè fœcundum in millena millia sui generis produ-cenda ac spiritus ille brutalis fœcu-lenta terræ propago censeatur.

2. At inquiunt sunt & quæ pro-bant Deum eandem adhuc quam in-itio efformandis animabus operam impendere, ut in hujusmodi: [de-ficeret enim spiritus coram me, & animæ quas ego feci] [qui format spiritum hominis in eo] & illud non *Iobi* sed *Eliphazi* [spiraculum om-nipotentis vivificavit me]

Atqui facilè respõdent his Tradu-ciarii hæc omnia nihil aliud innu-ere quàm paternam Dei providen-tiam quæ hominibus jam natis pluf-quam passerculis sollicita est, iisdem & nascendis tam in corporis quam animæ genitura propriùs quam brutis adesse & efficaciùs cooperari, hanc enim non solius esse animæ prærogativam testantur similia quamplurima de corpore dicta, u-ti Psalmo 33. (si veniam interpre-

tandi

tandi parem cum Infusiastis impetraverimus [ὁ πλάσας κατὰ μόνας τὰς καρδίας αὐτῶν, effingens singulatim corda eorum] cujusmodi de animabus verbum extat nullum. Et illud ipsius Iobi non Eliphazi [an non effudisti me ut lac, & coagulasti ut caseum; vestiisti me carne & cute ossibúsque ac nervis muniisti ?] hæc si traductioni corporis & ejus partium à parentibus consuetæ ac naturali non adversentur, nec illa animæ.

3. Sed restant adhuc plura & fortiora quibus nempe Deus animæ præ corpore conditor magis peculiaris asseritur, ubi Deus propriè & cum quadam velut exclusione corporis pater Spirituum appellatur, & Eccles. 15. ubi dicitur corpus in pulverem, unde desumptum est, rediturum, Spiritum verò ad authorem Deum remeare.

Ad priora facilimè respondetur. Ea non de novâ aliquâ creatione, Sed de spirituali regeneratione intelligenda

telligenda, quo sensu sæpissimè Deus in novo fædere noster pater dicitur, & nos creatura verè nova, filii ejus, nati non è sanguine nec ex appetitu hominis carnali, sed ex Deo; & mihi quidem traductionis argumentum haud contemnendum vel hinc peti posse videtur, cùm generatio naturalis & regeneratio spiritualis ejusdem subjecti sint, at Anima regeneratur ergo & generatur.

Alterum illud Ecclesiastis fateor habere in se aliquid difficultatis, nec facilè etiam ab illis qui id nobis objiciunt explicandum, si enim verba illa de animâ intelligas tum omnes animæ, etiam impiorum, excusso hoc pulvere redibunt ad Deum. At forsan inquies redit Spiritus ad Deum, pii remunerandus, impii judicandus; nos autem quis sit ille & qualis ad Deum reditus spirituum jam non disquiremus: At verba sic exponenda censeo: [Spiritus revertitur ad eum qui dedit]
i.e

(i.e) qui primus cum in protoplastis nares inspirabit, cui quidem sententiæ astipulatur & illud modo citatum effatum Zachariæ ubi formatio spiritûs humani in ipso jungitur cum expansione cæli & fundatione terræ [dixit, inquit, Dominus qui expandit cælos qui iacit fundamenta terræ & format spiritum hominis intra eum.]

Hoc etiam sensu sæpissimè in sacrâ paginâ pulvis & cinis dicimur, respectu non hodiernæ generationis (nam sic caro sumus ex carne) sed primævæ creationis, vel illius ultimi in quod resolvimur.

Superest unica adhuc è sacris *literis* deprompta ratio quâ multum sibi fidunt qui creationem animæ defendunt éstque ex lege Mosaicâ Exod. 21. 22. &c. [veti jinnatzu anaschim, venagphu ischa harah, vejatzau jeladheha, velo ijhjeh asoun, gnanosh jegnanesh : caascher jashith gnalaju bagnal hajischa, venathan biphlilin ; veim asoun jihjeh,

jihjeh, unathattah nephelch racath naphech, &c.

Si rixati fuerint viri & percusserint mulierem prægnantem & fætum ejecerit (seu abortiverit) si mors (ceu grave aliquod infortunium) non sequatur, damnum (seu mulctam subibit quantum ad mariti mulieris petitionem judex imposuerit, quod si sequatur mors (seu grave aliquod infortunium) dabit animam pro animâ, oculum pro oculo, &c.

Hunc autem locum (quod Infusiastis hallucinandi ansam dedit) septuaginta sic interpretantur ἐὰν δὲ μάχωνται δύο ἄνδρες καὶ πατάξωσι γυναῖκα ἐν γαστρὶ ἔχουσαν, καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον ἐπιζήμιον (ζημιωθήσεται) καθότι ἂν ἐπιβάλῃ ὁ ἀνὴρ, τῆς γυναικὸς καὶ δώσει μετὰ ἀξιώματος. ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ, δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς [si quis mulierem percusseiret & exeat fœtus ejus non efformatus seu non effigiatus tum percussor

cussor mulctam solummodo subibit qualem percussæ marito visum fuerit imponere.

Quod si formatus exiverit, dabit animam pro animâ, &c. hic aiunt de certo constat animã non inesse nisi formato corpori & tum primùm a Deo creari & infundi.

Atqui hoc quàm nihili sit mentis impotem arbitror qui non videt. Nam ad homicidii crimen hinc conficiendum perin est animam infundi, vel traduci, modò statuatur eam non actu existere ante membrorum corporis saltem vitalium efformationem absolutam quod opinor vel è Traduciariis nemo sanus negabit.

Ad illud denique quod ex Evangelio malè sani quidam objiciunt [Pater meus adhuc operatur & ego operor] dicimus argumentum esse ludentium potiùs quam disserentium, vel saltem opinantium, ante creationem seculi fuisse Deum penitus otiosum. Si quis tamen aliud

responsum

responsum velit, hoc esto.

Operatur Cooperando.

Atq; hucusq; de rationibus utrinq; in hanc causam è sacrâ paginâ deprompptis.

Vna est adhuc Philosophiam inter & Theologiam intermedia quâ traductionem animæ radicitùs evelli credunt adversæ sententiæ patroni Ea hæc est,

Si traducuntur inquiunt animæ, traductio vel è solo paterno semine, vel materno solo, vel utroq; conjunctim; ex matre sola traduci nemo asserit, Quid enim tum viris opus esset? & è contra est Evæ productio, si ex traduce, sine matre; quod si ex utroque, tum anima erit quid compositum, divisibile, & mortale, si etiam ex utroq; vel paterno solo semine, unde ergo anima Christi cui nullus mortalis pater? & unde Christus verus homo dicendus?

Atquì hoc magnum quam nihili sit facilè retorquendo telum in authores suos patebit. Quod enim illi

illi de anima Christi nos item de corpore ejusdem argutabimur.

Corpus hominis vel è solo paterno semine, vel materno tantùm vel utroq;. Materno solo semine ortum nemo asserit; si è solo paterno vel utroq; semine unde ergo corpus Christi qui Patre humano caruit? Et unde Christus verus homo censendus?

Enimvero Christum quod spectat, generationem ejus quis enarrabit? cujus partus, vita, mors, non dico miraculis referta, sed unum nec interpolatum miraculum faciunt. Deus natus, homo ingenitus, virgo mater, Deus etiam vitarum Atlas ipse fato succumbens: omnia humanũ captum exuperantia. Quæ licèt illis abundè refellendis sufficiant, cùm eadem Christum quod spectat, eadem inquam utrobiq; difficultas ostensa sit, tamen ne rem penitùs in tricis relinquam, hæc accipite.

1 Primò: reliquas omnes utcunque

que traduci ſtatuamus animas, duas tamen, Chriſti & protoplaſtis, de novo creatas aſſerere quid vetat?

Nec miremini θεὸς ἀπὸ μηχανῆς hic advocari, cùm ſit hic dignus vindice nodus. Atq; hæc ad hominem potiùs quam rem reſponſa habete donec accuratius aliquid de animarum propagatione (quod mox fiet) audiatis.

2 Secundò: Animas, ſi traducantur, ex paterno ſolo ſemine derivari cenſendum, nec eſſe quod ſciam quicquam quod è contrà validè objici poſſit. Tamen & neceſſarium eſſe ad hoc femellæ concurſum uti fermentum illud vitale proliceat in materiam aliàs ſterilem futuram; præterquam in hoc haud multò plus conferre matrem quàm magnam matrem tellurem ſuis in viſceribus fovendis fœtibus atq; in apricum proferendis.

3 Tertiò, ſi ex utroq; derivetur ſequi forſan diviſibilem, at non mortalem tamen, cum utiq; nullum

ſit

ſit agens naturale quod poſſit hanc ejus diviſibilitatem in actum redigere.

Et jam videtur cauſa Traductionis ſat undiq; ventilata, ſuperſunt de creatione animæ paucula dicenda, nec ſanè multis opus erit, nam ubi quid anima, quid creatio ſit, probè intellexeritis, cauſa dicta eſt.

Notandum igitur uniuscujusq; perſonæ intelligentis (excepto ſummo creatore) ſeu Angelus ſeu homo ſit, tres eſſe partes eſſentiales, Spiritum, Animam, & Corpus, quod etiam probatu difficile haud foret, tum è ſacratiori Philoſophiâ tum aperto rationis lumine, ſi non in anguſtias temporis cogeremur. Iam verò per Spiritum non intelligo internodium illud animæ corporiſq;, ſed Supremam hominis regionem, ſed divinius aliquod principium cujus beneficio cum Deo conſortium habemus: Nec per corpus, inutile cadaver, ſed unâ etiam ſpiritum corporeum

corporeum ſenſus & vegetationis fontem: per animam verò (ſi accuratè loquendum) partem illam inter duos ſpiritus, diviniorem & brutalem, intermediam ; in hac autem quæſtione non ita accipitur ſed craſſiore Minervâ pro triplici illo vitæ divinæ, intellectivæ, ſenſitivæq; principio, ſeu pro omni illo quod puro puto corpori opponitur : Atque hæc de Anima ſatis.

Creationem quod ſpectat, ejus notionem planè fallacem nobis à Scholaſticis & eorum ſequacibus obtruſam cenſeo, cum ex nihilo hanc fieri ſtatuere. Nam in linguâ primigeniâ ſacrâque paginâ, unde creandi vocabulum primitùs deſumptum eſt, vox ברא nil tale ſignificat, ſed productionem potiùs ex materiâ præexiſtente. Sic dicitur creaſſe Deum balænas & cœtera tum aquatilia tum volatilia cœli, quæ tamen omnia idem Philoſophus ſacer ex aquis producta aſſerit. Sic & hominem creaſſe, ſed ex

ex limo terrestri. Quod si quis nobis cœli terræq; creationem ex nihilo primùm factam obiiciat, id gratis dictum asserimus: præsertim cùm Sacratior Philosophus, *Heb.* 11. contrarium potius affirmet, mundum hunc nempe aspectabilem non ex non entibus sed, ἐκ τῶν μὴ φαινομένων, ex non apparentibus fabrefactum.

Sed ut hæc paulò clarius intelligantur prodeat jam in apricum nova Theosophi cujusdam hujusce in quo deginnus seculi philosophia. Hæc tria rerum principia ponit tum Aristotelico ternario, tum sale, sulphure, mercurióque chimicorum antiquiora.

Hic Animum attendite (auditores) nam & vobis mira quædam, & verò neque nobis ipsis sat perspecta, enarraturi sumus; quæ tamen perpensis omnibus suâ forsan probabilitate non carebunt.

Ea sunt hujusmodi.

1. Primò ante omnem rerum creationem

creationem ab æterno extitisse Deum & Abyssum, spatium viz. immensum & infinitum in cujus unoquoque imaginabili puncto tota Deitas inerat.

2. Secundò Abyssum hanc seu infinitum expansum non esse penitus nihil, cùm in eo possent duo vel plura à se invicem diversa puncta assignari in quibus Deus totidem creare mundos potuisset & lineâ ab uno ad aliud protensâ distantiam alterius ab altero dimetiri; imo hinc omnia (licèt ipsum determinatè quantum non sit) quantitatis suæ dimensionúmque denominationes sortiri, cum ex duabus lineis illa longior dicenda quæ hujusce spatii plures partes occupat.

3. Tertio Abyssum (licet post Deitatem de realitate entis summè participet) non esse ipsummet Deum, quippe cujus divisibilitas & aliæ quamplurimæ proprietates, omnipræsentiæ aliisque multis essentiæ vitæque perfectissimæ attri-

butis

butis ex diametro repugnent; ideo commodissimum fore si Deitatis veluti corpus vel quod vero propiùs erit æternum Deitatis habitaculum indigitetur.

4. Quartò Huic Abyssò attribui posse ferè omnia quæ philosophi materiæ suæ primæ ascribunt: nempe quod nec quid nec quantum nec quale sit, horum nihil scilicet terminatè (h.e) in essentiâ definitâ vel figurâ circumscriptâ sed interminatè & indefinitè omnia: ejus tamen proprietates quatuor capitales assignari posse. 1. Appetitus ad corporeitatem, seu vis contrahens, coagulans, & constringens. 2. Huic contraria vis alia furibundo quodam impetu coagulationi resistens. 3. Ex horum inter se confligentium certamine enixa vis seu spiritus angoris primæ matris viscera corrodens. 4. Ingens ardor atque ignis tenebrosus. Atque harum omnium æterni expansi proprietatum operationes facilè

tè possum in pugnâ metallorum
m aquis Stygiis præsertim verò
solutione ♂is cũ oleo vitrioli vel
agulatione olei vitrioli per ♂em
nam eadem utrobique res est)
ilibet ante oculos demonstrare.
Hìc ubi spiritus in ♂te & ♀re co-
agulativus sub ipsâ statim olei ad
ferrum effusione operari incipit ut
amore amplexúque mutuo devincti
in unum corpus coalescant, exoritur
eo ipso momento vis alia furibunda
hujusce nexus atq, incorporationis
impatiens quæ aquam & oleum su-
perinfusum magno cum impetu &
sœpè supra marginem vel altissimæ
cucurbitæ attollit : ex hac autem
constrictivi cum contrario spiritu
pugnâ exoritur tertia vis illa cor-
rosiva quæ limaturam ♂is durissi-
mam friabilem facit, & quartò in-
gens ille ac planè igneus ardor, sed
lucis expers, quem manus admota
vitro vix illæsa patitur.

Qui pugnam hanc Oceano pro-
cellis horrendissimis agitato haud

absimilem spectaverit, qui teterrimi odoris fumos (quales ex inferno puteo eructari, Apoc.9.2. dicitur) ex hác voragine per totam cameram diffusus olfecerit, haud dubito quin idem poëtarum Tartari Gehennæque nostræ imaginem ad vivum depictam videre se, immo ac sentire, fateretur; & sane ut apertè loquar, Abyssum hanc cum hisce suis quatuor proprietatibus, ubicunque Deus semet intra se atq; in centrum suum receperit, reverâ Gehennam esse censeo, at vero eas ante Luciferi defectionem in actum suum Gehennalem prorupisse haud arbitror, sed ita benigno Deitatis ubiq; præsentis effluvio temperatas ut planè mitescerent & egregium Divinæ manifestationi adminiculum præstarent.

Nam

5 Quinto Ex harum æterni Abyssi proprietatum cum radiis è centro Deitatis emanantibus amicâ colluctatione coortam (non de novo sed ab æterno) lucem quandam

Majestaticam

Majestaticam hæc infinita spacia complentem, cujus velut umbram nostris in ignibus videmus, qui ubi pabuli sui tenebras vicere, flammam de se lucidam & radios hinc inde micantes in amplissimum undiquaq; spacium veluti triumphum agentes evibrant. Atq; hanc lucem vel saltem vitales ejus ac vegetos radios suavissimamq; ex inde per infinitum Abyssi ambitum spirantem auram, eloquia Sacra & præ cœteris liber ille Solomonis Apocryphus Sapientiæ nomine indigitat.

6 Sextò, Hinc verè affirmari posse ab æterno fuisse, jam adhuc esse, & in æternum fore, mundum quendam divinum, cujus centrum ubiq; præsens æterna unitas, cujus corpus & anima Abyssus, spiritus verò ipsissima Sapientia, patre æternoDeo, Abysso matre progenita, cujus nomine non intelligo aliquod ex divinis attributis sed essentiam quandam undiquaq; æternam, viventem, intelligentem, & æternæ

unitati dignitate inferiorem unde omnis ejusce divini mundi ornatus & variegatio, & in quâ velut in speculo Deus ipse infinitæ suæ pulcritudinis amabilem speciem contemplando delectatur.

Hæc autem omnia quo tendant advertite. Hucusque duo tantùm principia delineavimus, primum & secundum, per primum intelligo æternam Abyssum cum suo proprietatum quaternario, per secundum, Sapientiam, qualem modo ad vivum depinximus.

Ex his duobus Principiis post infinitum æternitatis emensum spatium summo Creatori visum est alium creare mundum, scilicèt Angelicum, eúmq; in tres regiones veluti Sphæras totidem sibi invicem (ut circuli majores minoribus) involutas distinguere, quarum incolæ fuere Angeli in tres Hierarchias distincti--mediam & lucidissimam (quæ jam noster mundus est) Luciferum cum Legionibus suis incoluisse. Ange-

lorum

lorum animas & corpora ex Abysso, spiritum ex fœcundissimo Sapientiæ sinu derivatum.

Horum speciocissimum (& qui filii Dei imaginem referebat) Luciferum cum cohortibus suis neglecto Divini elementi, quo pasci debebant, pabulo, in Abyssum, animæ suæ corporisq; matricem, retro deflexisse oculos, animúmq; demersisse : hinc spiritu Sapientiæ quæ matricis acerbitatem temperare debebat in eis extincto omnes illas Abyssi proprietates in iisdem vitâ propriâ vivere & in actu suo Gehennali operari cœpisse, fœdóque inde ac caliginoso hujusce putei halitu vertigine correptos hæc in Animum induxisse.

1 Primò Omnem reliquarum Hierarchiarum & totius Deitatis pulcritudinem intra se absorbere. hic illis ex Abyssi proprietate primâ enatus animus, spiritu nempe attrahente & constrictivo.

2 Secundò Extra universi limites

 tes

tes evolare & in summo solium sibimet erigere, quò creaturas omnes adeóq; ipsummet Deum imperio suo subjicerent & pedibus conculcarent; hoc autem è secundâ proprietate, quæ constrictioni repugnat, exortum desiderium; nolebant enim intra creaturalem sphæram compingi, sed æquales per omnia infinito & immenso Creatori fieri voluere.

3. Tertiò (cum hoc non possent) enatum in illis ex duabus antedictis Abyssi proprietatibus spiritum angoris & invidentiæ se corrodentem. Et

4. Quartò Erupisse tandem ardorem ignis tenebrosum quo se suámque regionem omnem vento, fumo, flammisque sulphureis implevere.

Atque hìc primum peccati & præcipuè vitiorum quatuor Capitaliũ, viz. Avaritiæ, Superbiæ, Invidiæ, Iracundiæ, hìc etiam ipsius ignis infernalis originem videtis; in his enim Apostatis animabus Spiritus in-

in suum æthera refugerat, Deus in suum se centrum receperat, Sapientiæ lux penitus extincta erat: quid reliquum quam ut infœlices ramuli ab arboris Divini trunco abscissi, ignis in se & in Sphærâ suâ excitati animâ simul & corpore fierent æternum pabulum?

Et jam tandem ad antiquissimum illud, cujus poetæ meminerunt, rerum omnium principium, Chaos nempe devenimus; reverâ non figmentum sed verissimum hujusce mundani spatii (qualis ante novam creationem sub Luciferanâ theomachiâ fuit) hypotyposin. Et forsan etiam reliquarum hierarchiarum regiones infecisset hic Tartareus vapor ni Deus omnipotenti brachio ac tempori succurrisset.

Nolens enim æternus pater tam amplum ac præ cæteris gloriæ maximæ destinatum spatium in æternum bonitate suâ destitui, vel suo de tot creaturis in hoc spatio beandis proposito frustrari, accin-
 xit

xit se ad compenscendos hos fluctus & ad hujusce sensibilis mundi ex illâ turbidâ rerum congerie creationem.

Ac primò omnes illas materiæ particulas crassiores, abyssi vi constrictivâ congelatas, in unam molem vel (si cum Copernicanis loquendum) in plures opacas sphærulas congessit & à parte fluidâ distinxit. Hæc Cæli & terræ creatio appellatur. Dein tenebras per totam Luciferanæ regionis abyssum diffusas unà cum authore suo in angustum compulit. Hæc creatio lucis dicitur. Atque hoc opus primæ diei: hæc prima de Lucifero victoria.

Singula percensere tempus haud patitur; sed apertissimè testatur historiæ series divinum spiritum à suo cum Chao certamine non destitisse prius, quam omni inflammatæ caliginosæque materiæ malitiâ devictâ & suis usibus subactâ totam in pulcherrimam hanc mundani

templi

templi fabricam compegerat.

Estque hoc etiam observatu dignissimum, post uniuscujusque diei opificium completum, Deum optimum maximum, & (Testante seipso apud Iobum) unà cum eo etiam Angelos omnes, divinum quoddam epinicion de Tartaro hoc à se victo triumphatóq; cecinisse; & verisimile est die septimo insignes hac de re ferias déq; Luciferi tyrannide ac furoribus edomitis triumphos ab angelis per omnem creationis ambitum cum cantu & jubilatione celebratos; & quantumvis risum forsan aliquibus excutiam eloquar tamen liberè quæ censeo. Nempe quod psalmos centessimum quartum & centessimum quadragessimum octavum illo die, forsan & unoquoq; Sabbato, ab Angelis decantatos, Deumq; postea hos psalmos prophetæ dictâsse quò ecclesiæ terrestri cum Angelico cœlestiq; choro consentiens harmonia foret; quòd si cui Israelis & plurium ejusmodi

vocabulorum mentio facta contrarium suadet, norit is hæc omnia nomina plane mystica esse quorū nullū suo in cœlis archetypo caret. De Angelorum verò cantu, qui cœlestem illam Servatoris natalitiis exauditam harmoniam & psalmis nostratibus phrasi non absimilem in mentem revocat, hæc ut inconsona spero non mirabitur.

Sed hæc obiter monuisse sat superque erit, ad rem redeo. De duobus principiis sat audiistis, jam etiam tertium quid sit principium in propatulo habetis. Nam hujusce jam creati mundi & spiritum & corpus, totam viz. ejus compagem tertii principii nomine appello.

Iam satis constare vobis arbitror Creationem non fuisse ex nihilo; habetis etiam quid velim per illa quæ nominavi modò tria principia, quorum primum & secundum, Abyssus nempe & Sapientia, æterna sunt, quæq; omnia ex illis originem sumunt æterna etiam

&

& immortalia, tertium verò unà cum omnibus ex inde creatis corruptibile & mortale.

Ergo ut ſcopum ad quem hæc omnia collimant tandem attingam.

Poſtquam regio Luciferi rurſus habitabilis factus eſt, & ipſe cum ſuis in ſublunares tenebras compulſus, viſum eſt Creatori alium perduellis loco Hierarcham creare qui cum numeroſâ progenie ſuâ lapſorum vices ſuppleret. Hic Adamus erat, cujus corpus licèt ratione prædominantis elementi dicatur ex terræ pulvere formatum, veriſimile tamen eſt fuiſſe quinteſſentiam nobiliſſimam ex omnibus elementis extractam.

An verò copus ita craſſum & opacum, uti poſt lapſum jam habemus, ex creatione protoplaſtes habuit, an quale potiùs in reſurrectione habituri ſumus, multùm ambigo.

Sed de his & aliis Aadmici ſomni
&

& formationis Evæ mysteriis non est hic dicendi locus.

In hoc autem Adami corpus suis jam omnibus numeris absolutum inspiravit Deus spiraculum vitæ. quo spiraculo, si locum hunc cum aliis infinitis Philosophiæ sacræ concordare velimus, necessario intelligenda est vita triplex ex omnibus tribus modo dictis principiis, vita nempe spiritus ex Sapientiâ, vita animæ ex Abysso, & vita corporis è Spiritu mundano, quorum adminiculo cum omnibus tribus mundis commercium habere homo posset. Vita autem spiritûs licèt (uti Deus Adamo comminatus est) (ita ut secundum illam vitam planè mortuus dici posset) in lapsu obdormiverit: tamen non prorsus interiit, sed unà cum animâ & corpore traducta est à parentibus primis in posteros, & in renatis ita reviviscit ut ejus beneficio vel in ipsam Deitatis Abyssum penetrare valeant; Vt enim

nos

nos corporei nostri spiritûs & ejus quinque sensuum virtute penetramus usque in profundum hujusce tertii principii, quæque in eo omnia intra sphæram sensus occurrunt dignoscimus, sic animâ in Abyssum æternitatis, & spiritu in ipsum Deitatis & Sapientiæ speculum intuemur. Atque in hoc brutis præcellimus quorum vita ex tertio solummodo principio est, nostra autem ex primo etiam & secundo.

Quod si cui mirum videatur tres tam nobiles & spirituales essentias in seminis, tam parvi scilicet corpusculi, vehiculo ita inclusas ut non exhalent, is primò apud se cogitet, hoc nihilo magis mirum quàm animæ, substantiæ nempe vivacissimæ, cum corpore sociatio. Dein hanc triplicem vitam nondum actu esse in semine, ut neque corpus; Sed in semine tres esse substantias inter se involutìm habitantes unde processu temporis effloreścit unà

cum

cum corpore triplex illa vita, una longe post aliam, cujus germinationi si quis obex imponitur, singulas in suum evanescere principium.

Atque his jam præmissis haud opinor difficile fore, de Animæ vel à proavis traductione, vel à Deo creatione, determinare, cum à creatione probe intellectâ traductio haud multum discordet; cum enim probatum sit creationem ex nihilo nullam esse nec fuisse unquam, non video cur non verè affirmare possimus, Animam sicuti & corpus à Deo creari, sed ex materiâ à parentibus derivatâ, non tamen ex ejus portiunculâ sensibili, sed ex ejusdem purioribus substantiis & quæ sensûs acumen vel subtilissimum refugiunt.

Denique si quis harum inter se sententiarum hoc deficere concordiam putet quod altera Animam immediate à Deo altera mediante semine ut materiâ creatam astruat:

facile

facile nos & hanc litem dirimemus. Asserimus enim, & ni fallor probatum etiam dabimus, Animam & corpus hodiè nostrum æq; immediatè à Deo atque Adami corpus & Animam promanâsse.

Hoc optimè ex Ezekielis de ossibus in corpora rursus coagmentatis & vitâ inspiratis visione constabit, Ezek. cap. 37. ab initio usque ad versum undecimum, verba ipsissima digna quæ aureis insculpantur literis recensebo.

" Supervenit mihi manus Ie-
" hovæ & educens me in spiritu-
" Iehovæ collocavit me in medio
" cujusdam vallis: quæ erat plena
" ossibus.

" Et traduxit me per illa cir-
" cumquaq; ecce autem erant mul-
" ta valdè in superficie illius con-
" vallis, & ecce arida erant
" valdè.

" Quum autem dixisset mihi fili
" hominis, an reviviscerent ossa il-
" la? dixi Domine Iehovah tu nosti.

" Edixit

" Edixit verò mihi, propheta
" de ossibus istis: indicens eis,
" ô ossa arida audite verbum Ie-
" hovæ.

" Sic ait Dominus Iehovah os-
" sibus istis, Ecce ego inducturus
" sum in vos spiritum ut viva-
" tis.

" Nam addam vobis nervos, &
" obducam vobis carnem, & su-
" perindam vobis cutem, ponam-
" que in vobis spiritum & vive-
" tis: ut cognoscatis me esse Ieho-
" vam.

" Quum itaque prophetarem
" quemadmodum jussus fueram,
" fuit sonus me prophetante, & ec-
" ce concussio, appropinquantibus
" ossibus uno ad suum alterum.

" Deinde quum aspicerem quod
" ecce super ea nervi & caro assur-
" rexissent & superinducta esset eis
" cutis supernè; spiritus autem
" nullus inesset eis,

" Dixit mihi, propheta allo-
" quens spiritum; propheta fili
" hominis

" hominis, dicens ſpiritui ſic ait
" Dominus Iehovah, à quatuor
" ventis adveni ô ſpiritus & per-
" flato interfectos iſtos ut vivant.
" Quamobrem prophetavi quem-
" admodum præceperat mihi; &
" ingreſſus eſt in illa ſpiritus, &
" revixerunt, ſteteruntque ſuper
" pedes ſuos copiæ magnæ quam-
" plurimùm.

Hæc proculdubio non reſurre-ctionis ſolùm ſed & ipſius creationis adumbratio eſt, licèt vitam omnium trium principiornm non putem tunc illis oſſibus inſpiratam, ſed tertii ſolummodo principii, quæ ſtatim pòſt rediit, ut & Animæ brutorum, in ſuum æthera.

Atque ut in hâc viſione Deus ex his oſſibus tot hominum corpora pullulare fecit, & non ore proprio, ſed vento, vitam afflavit: ita planè veriſimile eſt eodem modo ex terræ pulvere Adamum procreâſſe, non in viſibili perſonâ aſtitiſſe, ac ſub-egiſſe

begiſſe manibus lutum, & ore ad vultum admoto in nares inſufflâſſe.


Sed ut homo mediante ſpiritu ſuo microſmico ex ſemine in matricem projecto hominem progenerat; ita (Deo ſic ordinante) terram ſpiritu mundano in elementorum & aſtrorum influxibus equitante impr æ gnatam, nobiliſſimam de ſe quinteſſentiam ſuperficiem verſus, forſan in aurifodinam aliquam vel aliam ſpeluncam protruſiſſe, quæ paucarum aliquot horarum ſpatio in juſtam corporis compagem & magnitudinem crevit; tum omnibus perfectis, venti alicujus ex triplici mundo aſpirantis flabello vitam in corpore excitatam, ex indè hominem è ſpelæo, velut è teſtâ pullum vel ex utero matris infantem prorupiſſe.

Et nullus dubito quin ſi quis puer vel ſemipaganus Adami natalibus præſens aſtitiſſet, eum planè autoc-

autocthona, nec quicquam aliud quam purum putum terræ filium credidiſſet.

Cum igitur Adamum à Deo creatum & vitâ inſpiratum, & eundem tamen è terrâ genitum & vento animatum dicere, ſibi non adverſentur

Conclu-



Concludimus & nos

ANimarum à parentibus traductionem & earundem à Deo creationem non utrumlibet solum probabile, sed & utrumq; verum.

Tamen si linguâ Angelorum (quâ sacra pagina sæpissimè utitur) loqui velimus, affirmare nos animas à Deo creatas, si linguis hominum, à parentibus traductas.

FINIS.



Ad Amicum suum charissimum Carolum Hotham virum omnigerâ eruditione & virtute illustrissimum de suâ obscurissimi Philosophi Teutonici sapientiæ Descriptione.


Non scio Teutonicè, bone Carole, scribe teipsum.
Atque tuum pingas, si potes, ingenium.
Hothamice scribas, propriósque exponito sensus.
Sic animum rapiet pagina docta meum.
Quicquid enim Pietas atque alta Silentia Mentis,
Alternans tacitas Consiliúmq; vices.

C Quic-

Quicquid & auratis Amor entheus intima pennis
Pectora dulce movens suggerit; illa equidem
Omnia credo tuos exornatura libellos
Scribere si propriâ mente manúq; velis.
At nos ignoti tenebrosa per avia campi
Dum ducis, misere, heu! horreo & obstupeo,
Sed simul atque fidem aspiciô morúmque tuorum
Candorem, in subitum Nox abit atra diem.
Dum mores vitámque tuam contemplor, in istâ
Nocte nihil metuo posse latere mali:
Ingenium recolens penetrabile, protinus inde
Magnum aliquod condi his suspicor in tenebris.

H. More.

Ad




Ad amiciſſimum ſuum virúmque clariſſimum de obſcuritate Teutonicâ reſponſum Authoris.

C*Andide Teutonicas horreſcis* More *tenebras?*
Has nictanti oculo lux inimica facit.
Hâc Pater Omnipotens faciem mortalibus abdit.
Scilicet hunc proprii luminis umbra tegit.
Et Sol cærulei dum ſcandit culmina cæli,
Ora oculóſque minax igne micante domat.

At mundi Artificem nobis hæc fabrica monstrat:
Et Phæbum placidæ vultus amænus aquæ.
Teutonicúmque jubar trepidis mitescet ocellis.
Dum propiore meas lumine mulcet aquas.
At tibi, qui proprio radians e Vortice, Phæbus
Alter, Apollineas spargis ab ore faces,
Noster Olympiacas liquescit Phæbus in auras
Sólque Viam-niveam stellula parva subit.

EPIL.



EPILOGVS.



TAndem aliquando (dignissime Procancellarie, Viríque gravissimi ac Juventus Attica) post emensum hoc amplum disputandi Pelagus, post tot varia intellectualis Orbis littora, tot animæ regiones perlustratas, nostra procellis quidem ac fluctibus lacera puppis, at vestro fa-

 vore

vore salva tamen, in portum nemini non exoptatum appulit.

Et sanè si nondum lassa sedendo membra vix trahitis, si nondum crepusculi mox affuturi prænuntius sopor obrepit oculis, est quod ingentem candori tam vivido patientiæque plusquam Atlantica gratiam habeamus.

Cœlestes quidem, si res inter nos agitatas spectetis, apposuimus epulas, queîs tamen cum humani quamplurimum nostra tenuitas admiscuerit, huic, spero, divinior humanitas vestra, nec ingratìs, ignoscet.

Hoc unicum à vobis exorandum jam superest, ut egregiis juvenibus, ut viris etiam Præ-

conio

conio nostro majoribus, qui suavissimis ingenii sui flosculis palæstram hanc hodie philosophicam exornarunt, laudem ac gratiam quam meruerunt amplissimam, mihi, quam peto, veniam, indulgeatis: ut si dicendo non placuimus, hoc saltem, quod erroribus hallucinantis ingenii ignosci petimus, placeamus.

Sic languentibus novos spiritus é vultu vestro traduces aspirabit benignior Favonius.

Hæc dies altera nobis natalis erit, & connatas nobis vestræ clementiæ characteres nec Lethe quidem obliterabit. Ipsius quoque naturæ luce vel meridianâ clarius erit omnem hodiernæ laudis

laudis materiem non é penûs nostri pauperie sed é regiâ vestri candoris ac divite venâ emanâsse.

Hac denique ubi felix impetravero, tum verò ego qui vos primus salvere jussi, valere vos ultimus jubebo.

dixi.

Octob, 29. 1647.
Inprimatur
Johannes Downam.

FINIS



Errata quæ curſoriè legens reperi lector ſic corrigat.

PAg. 9, lin. 21. legė propiús pag. 12. lin. 2. inſpiravit. lin. 21. veci. lin. ult. biphlilim. pag. 13. lin. 1. tachath. lin. 2. napheſch. lin. 21. καθ' ὅ,τι pag. 28. lin. 21. primam pag. 31 ſentio. in præf. diſſeruit. ibid veræ;

Longe pluribus præſertim in accentibus & punctis occurret Lector. At vel ipſe dormitet nunquam vel candidè de nobis ſentiat & typographo ignoſcat.

